N a semita dicitur iter arctum quasi semis via. Semitę igitur iusticię intelliguntur precepta dei quę nobis proponuntur. Sequi
tur propter nomen suum. Non propter meum meritum ut nemo sibi aliquid boni tribuat. Nam et si ambulavero in medio umbrę
mortis non timebo mala quoniam tu mecum es. Umbra duobus modis fit. id est corpore et lumine. Per corpus mors intelligitur.
E umbram peccatum et ignorantia. Et tamen quamvis ecclesia inter hęc super dicta ambulet. non timet quia dominum apud se habet
qui dixit. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Vel aliter. Diabolus enim mors appellatur iuxta
quod in apocalipsi legitur. Ecce equus pallidus et qui sedet super eum nomen illi mors. Huius mortis umbra sunt here
tici vel falso nomine christiani qui quandam in forma mortis pretendunt. dum omnes quos possunt ad interitum pertra
hunt. Inter hos ambulat ecclesia vel unusquisque fidelis. quia in presenti vita permixti sunt boni cum malis. et simul perci
piunt sacramenta corporis christi et sanguinis. De talibus paulus dicit. Qui manducat corpus domini et bibit sanguinem
eius indigne. iudicium sibi manducat et bibit. In horum igitur medio ambulat ecclesia sed non timet mala. quoniam secum ha
bet dominum qui dicit. Non te deseram neque derelinquam. Virga tua et baculus tuus. ipsa me consolata sunt. Virga est potestas. iusti
cia qua peccantes feriuntur ut corrigantur. Baculus vero est consolatio. quia in necessitas huius seculi consolamur a domino. Virga
enim cedit. baculus sustentat. hęc igitur duo consolantur ecclesiam. Sed cum specialiter consolatio ad baculum pertineat. dicit tamen.
V irga tua et baculus tuus. ipsa me consolata sunt. Re vera enim consolatur virga. dum peccantes corrigit et ad emenda
tionem perducit. Parasti in conspectu meo mensam. Mensa enim a mense dicta est. quia eodem die convivia ritu gentium
exercebantur. Spiritaliter vero mensa est altare dominicum in quo nobis panis cęlestis ad manducandum proponitur. hanc
mensam in conspectu suo dicit paratam quia altare in eminentiori loco ęcclesię constituitur quod a fidelibus circumdatur. Adversus
eos qui tribulant me: adversus hereticos et falsos catholicos qui nec pravis doctrinis et pravis moribus affligere
non cessant. Notandum autem quod mensa etiam in malo ponitur. paulo dicente. Non potestis participes esse mensę domini et
mensę demoniorum. Inpinguasti in oleo caput meum. Caput ecclesię christus est. quod inpinguatum est oleo. id est unctio
ne spiritus sancti. ut a capite ad reliqua menbra manaret. Bene autem dicit. Inpinguasti. id est habundanter infun
disti. quia in christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et calix meus inebrians quam preclarus est. Calicem dicit
sanguinem christi quo potatur ecclesia. Superius enim dixerat mensam in qua panis verus proponitur. Nec autem ecclesiam hic
calix inebriat spiritali ebrietate. quia quem replet verus calix christi insensibilem eum facit contra delectationes et cupi
ditates huius seculi. Bene dicit quam preclarus est quia calix domini digne potatus ad supernę claritatis beatitudinem perducit.
E t misericordia tua subsequetur me et reliqua. Misericordia dei et precedit et subsequitur electos. Precedit per gratiam. subsequitur per custodiam.
E cedit ut recte credamus. subsequitur ut recte vivere valeamus. Ut inhabitem in domo domini. Ad hoc inquit hęc om
nia prestitit mihi deus. Ad hoc in loco pascuę me collocavit et cetera. Ut inhabitem in domo domini id est in cęlesti hierusalem.
quę est domus domini. ubi cum solis datur gaudere electis. in longitudine dierum. Ad hunc igitur erudior in presenti vita. ut ad
illum finem pervenire merear. quatinus in longitudine dierum. id est sine fine ęterna leticia perfruar.

P rima sabbati est dies dominica. qua dominus a morte surrexit. quę octava est in ordine precedentium dierum.
et prima in ordine subsequentium. hac die fecit deus mundum. hac ipsa die redemit. Sciendum autem quia iudei
omnes dies suos a sabbato computant dicentes. Prima sabbati. secunda sabbati et cetera usque sabbatum. In hoc igitur psalmo
loquitur propheta de ecclesia. quam redemptor post resurrectionem suam in fide fundavit. et in virtutibus preparavit.

D omini est terra et plenitudo eius orbis terrarum et cetera. Terram hic apellat ecclesiam non quod terrena sit et. sed quia fructifera
est. et semina verbi dei suscipiens. fructus bonorum operum affert. Sicut enim cęlum ecclesia vocatur propter celestem conversa
tionem sic et terra potest dici propter fidei firmitatem. et bonorum operum fecunditatem. Domini est inquit terra id est ecclesia. Nam
cum omnia quę deus creavit domini sint. specialiter ecclesia eius dicitur. quia fideliter ei et devote famulatur. Et plenitudo eius id est
omnis multitudo credentium. Orbis terrarum. Ne putaret ecclesia in una parte angustatę contineri subiungit. Orbis
terrarum. id est ecclesia per totum orbem diffusa. Et universi qui habitant in ea. sub. domini sunt. id est qui in recta fide et opera
tione perseverant. ab ecclesię societate non recedunt. Ipse super maria fundavit eam. et super flumina preparavit
eam. Maria significant cupiditates et illecebras huius seculi. Mare enim amarum et tempestuosum amaritudi
nes et perturbationes huius seculi designat. Super hoc mare fundata est ecclesia quia superior est et contemnit cupidi

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. p.%2047 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/p.%2047)